

X

18
26

A. A. 1619 4

EXERCITATIONUM PRACTICARUM
GENERALIVM PRIMA,
De

**NATURA ET
CONSTITUTIONE**
PHILOSOPHIÆ MO-
RALIS.

Quam
In Illustri Wittebergensi Academia

PRÆSIDE

M. HIERONYMO VVEIXELBERGERO
Welfensi Austriaco, Facult. Philosoph. in Ele-
ctorali Wittebergensi Academia
Adjuncto,

TVEBITVR

JOACHIMUS FLEMINGUS
Anhaltinus.

Ad diem 12. Maij.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS GORMANNI,
Anno clc lcc XIX.



VIRIS

*Amplissimis, Consultissimis, Clarissimis, Doctrinâ,
Humanitate & auctoritate gravissimis.*

Dn. CHRISTOPHORO Ehrlich / Illustrissimi
Principis ac Domini Dn. RUDOLPHI, Principis Anhal-
dini, Comitis Ascaniæ &c. Consiliario intimo.

Dn. M. JOANNI COPPENIO, Prælaudatæ illustri-
simæ Celsitudinis Secretario selectissimo.

Dn. BALTHASARI KIESWETTERO J.U.L. & a-
pud Servestanos practico in jure primario.

Dn. M. PETRO à JENA, Scholæ Servestanæ Rectori,
& illustris ibidem Gymnasij Professore extraordinario.

*Dann. Mecanatibus, Promotoribus & Prae-
ceptoribus suis suscipiendis, honorandis.*

Ἄρπαχθεῖσα κακῆ μὲν ἄδην ἀνέμοιο θυέλλῃ
Σῶς ἔσῃσε βάρις λῶκῃ ἐπ' αἰγιαλῶ.
Κέρδεά τε πρῶτη πείρα ἤνεγκεν, ἔοντα
Παῦρά γε, χαιρεκακῆς ἔμπα τρεπῆντα νόου.
Ταῦτα μὲν, ὦ ἄνδρες, τάθ' ὅποια τίθημι παρ' ὑμᾶς,
Δέρκετε καὶ, δέομαι, παῦρ ἀγανοφροσύνη
Πλείον' ἕως ἂν ἐμῇ Φερέμῳ βάρει, ἠδὲ δαΐναι
Ἡνιοχεῖν αὐτὴν δῆπο' ἐπιστιμένως.

Benigni promerendi favoris,
Testandæ debitæ gratitudinis ergò
hanc Disput: dedicat'

Joach. Flemingus Resp.



Σὺν Θεῷ.

EXERCITATIONUM PRACTICARUM GENERALIUM PRIMA, DE PHILOSOPHIÆ MORA- LIS NATURA ET CONSTITUTIONE.

PRÆLOQUIUM.

Nihil utilius aut fructuosius, homini hac in vitâ sui ipsius cognitione esse, Divus *Bernhardus* cap. 65. *Meditat*: quando in hæc erumpit verba, arbitrat: *Nulla scientia melior est illâ, quâ cognoscit homo seipsum. Relinque ergò cætera, & Te ipsum discute: per Te cur-re & in Te consiste. A Te incipiat cogitatio tua & in Te finiatur: nec frustra in alia distendaris, Te neglecto. Cognitionis autem illa duobus hisce includitur terminis, ut videlicet sciamus quid fuerimus per naturam, & quid jam simus per culpam. Prius copiosè satis sacrarum literarum explanant monumenta: posterius ipsa recta ratio, e-jusq; filia, divina PHILOSOPHIA, comprobar.*

Hæc enim, non solum morbum quem animus noster in VE-RI apprehensione, & BONI actione, appetitusque conformatione persentit, indicat; sed & quo emplastro defectui huic mederi possit, Illi, partem THEORETICAM: huic PRACTICAM applicando, præscribit.

Ὑστέρησον δὲ τὴν ἐργασίαν προinde agentes in PRACTICÆ PHILOSOPHIÆ sacraria, accuratius nobis pro re natâ inquirere placet, sed succin-ctè & nervosè. Tu verò CHRISTE JESU, qui dixisti in principio fiat lux & facta est lux. Dic etiam mihi fiat lux & facta sit lux, & videam lumen & cognoscam quicquid non est lumen: quia sine te, ne tenebræ lumen, & lumen tenebræ ponuntur. Et sic sine luce tua, non est veritas.

A 2

Adest.

Adest error, adest vanitas: non est discretio, adest confusio: adest ignorantia, non est scientia: adest cecitas, non est visio: adest invidium, non est via: adest mors, non est vita. D. Augustinus cap. 3. soliloq.

THEOREMA I.

Ethica est Philosophiæ practicæ pars generalis, per virtutes actiones humanas informans, quatenus in ijs honestas refulgere debet, ad consequendam felicitatem, quæ in hac civili vita homini contingere potest.

1. Antequam ipsam rei definitionem accedamus, ipsum definitum explicandum venit.
2. Sumitur autem definitum dupliciter 1. *Generaliter*, pro totâ Philosophia Practicâ, Ethicâ, Politicâ, Oeconomicâ. 2. *Specialiter* pro prima ejus parte, quam Pico homineus Philosophicam civilem appellat.
3. In hac ergo significatione acceptâ, triplicem admittit derivationem. 1. ab *Instrumento*, dicitur ἀπὸ τῆς ἔργου h. e. à consuetudine, 2. *Eth. c. 1.* 2. ab *Effectu* dicitur ἡθικῆ. Quia hominum affectus & mores inconcinnos ad conformitatem & proportionabilitatem reducit. 3. ab *objecto* ἀπὸ τῶν ἠθῶν, quia circa hominum mores formandos occupatur.
4. In Definitione verò ipsa, primo loco occurrit genus, quod hæc verba exprimunt: *Philosophiæ practicæ pars*. Philosophia enim practica, quæ cum prudentia, re, subjecto & fine idem est habitus, totum integrum est analogum, quod non in species, sed partes dividitur. Quemadmodum autem in totis integris & quantitativis partes definiuntur, mentione totius: ut manum definitio, quod sit pars corporis; ita etiam hic nobis dicendum: Ethica est pars Philosophiæ practicæ. Differentia insuper assignata, desumpta est à formali ratione, quando scilicet dicitur *pars generalis*, eò quod hæc disciplina totius Philosophiæ Practicæ prima ac generalia principia pertractet. Objectum autem constituunt *actiones humane, quatenus honestas in illis refulgere debet.*

Nulla

Nulla enim alia reperitur disciplina, quæ de actionibus humanis quatenus honestis, præciperet, nisi Ethica, quæ etiam medium, virtutes scilicet pro consequendo fine, qui est summi boni civilis adeptio, subministrat.

THEOREMA II.

Causa Ethica sunt, Efficiens, Materia, Forma, Finis.

1. Causa Efficiens duplex est, *Universalis* quæ est Deus Opt. Max. quam ob causam Aristoteles Summum Bonum, vocat *ἀγαθὸν θεόστον καὶ θεόπεμπτον* l. 1. Ethic. c. 9. *Particularis* rursus duplex est, remota vel proxima. Ad remotam referuntur ii, qui apud diversas gentes sunt Philosophati. Neque enim verisimile est, illos, qui Philosophiam Theoreticam excoluerunt, quemadmodum hoc præstiterunt apud Indos Gymnosophistæ, apud Chaldaeos Magi, apud Ægyptios Sacerdotes, apud Gallos Druides, apud Græcos, septem sapientes, Philosophiam Practicam planè neglexisse.

Inter Græcos verò principem locum sibi vendicat, Socrates, quem Apollinis Delphici oraculum omnium sapientissimum iudicavit, teste Laërtio l. 2.

Hic enim Philosophiam activam, quæ tamen ab antiquis sapientibus & Pythagoræis quoq; in maximo fuit honore habita, exulari cum animadverteret, contemplativâ relicta, quæ ad actionem in virum bonum efficiendum maximè spectarent, discipulis suis tradere instituit.

Socrati præceptorum successit discipulus Plato, ab Aristotele, Socrates Junior, à Porphyrio Philosopho, Deus, & ab Ammonio Philosopho Homerus dictus, qui Philosophiam activam scriptis suis quoque illustravit, quemadmodum id ipsum luculenter, *Excellentissimus & acutissimus Philosophus Dn. D. Harvenreuterus Præceptor meus observandus in Comment. super lib. 8. Phys. pag. 16. & seqq. demonstravit.*

Causa autem efficiens Ethicæ proxima est Aristoteles, qui Socratis per tres integros annos, Platonis autem 17. auditor & discipulis fuit. Hic enim non Dialogico orationis genere, quemad-

modum Platō, sed didascalio Ethicam est persecutus, & octo li-
bros ad Eudemum. 3. Magnor. Moral. Libellum de Virtutibus &
Vitiis & 10. libr. ad Nicomach. filium, perscripsit.

3. Materiam EX QUA propriè sic dictam non habet, ut omnia
accidentia. Materia IN QUA est animus humanus, Materia circa
quam, sunt actiones humanae.

4. Formam quod concernit, illa quoque destituitur, cum illa sit
accidentalis, accidentia autem formam propriè sic dictam non
habeant.

5. Finis denique Ethicæ ultimus est, summi boni civilis ade-
ptio & fructio, quemadmodum Theoremate primo, innuimus.

THEOREMA III.

Distribuitur Ethica commodissimè in

Ὀδαιμονολογίαν & ἠρεσολογίαν.

1. Varias variorum divisiones recenset CL. Dn. Iacob. Martini
in Ὀδαιμονολογία suā, disp. 2. Th. 2. quest. 1. de quibus quid sentien-
dum, ipse consuli poterit. Nos autem præsentem divisionem le-
quentibus moti rationibus amplectimur. 1. quia divisio hæc est
æqualis sui diviso. Nihil enim in tota Ethica reperies, quod non
ad partem hujus alterutram possis referre. Nec aliquid roboris ha-
bet instantia, quæ de amicitia & voluptate affertur. Sunt enim
effectus secundarii & ad integritatem quidem summi boni, non
autem ejusdem essentiam pertinentes. Præterea virtutem saltem à
posteriori illustrent, posterius autem quod est, ad essentiam prio-
ris nil confert. Sic amicis destitutus, beatè quidem vivere potest,
sed nō in ea luce, qua, is qui opera & auxilio amicorū est instructus.

Deinde, quia partes hæc cum totā Ethicā consentiunt, inter
se verò dissentiant & nunquam inter se confunduntur. Neque e-
nim illa, quæ est de virtute, unquam, quæ est de summo bono,
commiscetur, nec hujus præcepta cum illius confunduntur.

THEOREMA IV.

*Ordo in tractatione Ethicæ observandus est ana-
lyticus, non syntbeticus.*

1. Duos

1. Duos esse ordines, qui ex ipsa rerum cognoscendarum natura, prout à nobis cognoscendæ sunt, deducuntur, docet Zarabella l. 2. de Method. c. 6. Vnus est compositivus, qui à primis principijs inchoando, progreditur ad posteriora principia & ad ea, quæ ex principijs constant, & à simplicibus ad composita, ut perfecta rerum cognitio tradatur: alter est resolutivus, qui proposito ultimo fine agendo vel efficiendo à nobis, progreditur ad prima principia indaganda, per quæ finem illum postea producere & comparare possimus: propterea scientiæ contemplatiuæ alio ordine tradi nequeunt, quàm compositivo: artes verò ac disciplinæ omnes aliæ, solo resolutivo, uti possunt. Haftenus ille.

2. Ex quo jam manifestum est, Ethicam resolutivo ordine esse proponendam, ob has potissimum rationes. Primò quia ordo à nostra cognitione est desumendus, & facilius in rei cognitionem pervenitur, si processus fiat à noto ad minus notum. Jam autem finis Ethicæ notus est, media non itidem. Ergò ab illo, non ab istis nobis erit incipiendum, in primis, cum omne agens impellatur à fine ad agendum, teste Scal. Exer. 177. sect. 5.

3. Deinde sic concludimus: Sine quocunq; mediorum cognitionem non habemus, illud est priori loco pertractandum; Atqui sine fine mediorum cognitionem nò habemus, cum finis sit quasi meta & terminus ad quem omnia media collineant. Arnif. Polit. c. 1. p. 9. Ergò de fine priori loco est tractandum. Ex quo necessariò infertur, dispositionem hanc cum ordine analytico quadrare; Loqui n. de notione finis, quæ totius disciplinæ principium, est loqui de ordine resolutivo, quemadmodum ait Zab. 1. apol. c. 6. p. 26. Plura hac de materia reperies apud Piccolb. in Com. Pol. & in intr. ad 10. grad. civ. Phil. c. 31. § 2. & Zab. 1. 2. de Methodis 6. 7. 8. & seqq. & l. 2. Apol. c. 1. l. M. in tract. de S. B. disp. 2. Th. 1. q. 4.

AXIOMATA.

1. Philosophiæ Practicæ norma & cynosura est lex naturæ.
2. Philosophia Practica ad actionem, non Theoriam se extendit.
3. Philosophum Practicum, mediis legitimis uti decet, propter honestatem; nam ex honestate & ad honestatem omnia.

4. Equum

4. Equum præferendum sapientissime summo Juri.
5. Vitæ addiscendum est, non scholæ solum, Seneca.

Quæstio I.

An Ethica & SS. Theologia sint disciplinae realiter distinctæ & num illa Theologiæ contrarietur?

Cum bimembris hæc sit quæstio, duplici quoque responsione munienda venit. Prius itaque membrum hoc in victo syllogismo astruimus: Quæcunque disciplinæ, sine, objectis, & ipsis denique principiis distinguuntur, illæ realiter differunt: Sed Ethica & Theologia sunt tales. E. Minor probatur 1. à FINE. Ethicæ n. finis est summum bonum politicum, Theologiæ autem spirituale, de quo *Iob. 17. v. 3.* 2. ab OBIECTO. Ethicæ objectum sunt actiones honestæ: Theologiæ autem est homo salvandus, 3. à PRINCIPIS. Theologiæ principium est ipsum verbum Dei, ex quo demonstrationes efficiuntur, omnem captum humanum excedentes, Principia autem Ethicæ sunt conclusiones tum universales, tum particulares, ex principiis practicis, mediante rectâ ratione extructæ. Ex quibus omnibus luce meridianâ clara clarius patescit, disciplinas has, quam maxime distinctas esse. Quoad posterius membrum, negativè respondemus ob hanc rationem. Illæ disciplinæ dicuntur contrariæ quæ habent contrarias res & notiones: Atqui Ethica & SS. Theologia non habent contrarias res: Ratio est in promptu, 1. quia una disciplina alterius non evertit principia, quia omne instrumentum consentit cum suo instrumentato vel subiecto occupante. Sed Ethica est Theologiæ instrumentum eiq; non secus ut Agar Saræ famulatur. Ergo Ethica Theologiæ non contrariatur sed potius subordinatur.

Deniq; clarum hoc evadit ex nominis etymologia: Ethica enim dicitur à moribus, per quam nempe mores hominum componuntur. Quare qui opinantur Ethicam repugnare Theologiæ, quid aliud ajunt, quàm bonos mores esse adversos pietati? Quod si boni mores repugnant pietati, necesse est, rusticitatem & barbariem, imò omne genus flagitiorum, quo turbatur hæc humana societas, amicum esse pietati, quemadmodum eleganter colligit *Keckerm. p. 16, syst. Eth.*

Quæstio



Quæstio II.

*Num Quæstiones Theologicae ex principijs Ethicis
sint examinandæ?*

Audaculus ille Keckermannus l. 3. Syst. Log. c. 9. & l. 1. Pracog. Philosoph. c. 4. p. 94. duplices conclusiones Theologicas puras scilicet & mixtas constituit. Et mixtas quidem vel ex Philosophia Theoretica vel Practica desumptas esse, statuit. Rationem si exquiris, hanc reddit. Medij termini, inquit, sequuntur naturam conclusionis: quando ergo conclusio partim est Philosophica, partim Theologica, tum argumenta quoque debent esse partim Theologica, partim Philosophica. Unde patet Keckermannum affirmativæ favere sententiæ. Sed quis non videt meras nugas, & ineptias has esse, cum quæstiones singulæ in disciplinis singulis, ex principiis propriis, non externis & alienis confirmandæ vel refutandæ veniant? Oblitus ne es Keckermanne axiomatis Aristotelici: *ἡ δὲ μετὰ βασιμῶν ἐστὶ ἀλλοτρίη*, non debet saltus fieri ex unâ disciplinâ in aliam? Committitur autem hæc turpissima *μετάβασις*, si vera illa, quæ l. c. scribisti. Sed quiesce parumper, & quid ad hoc respondere velis argumentum cogita.

Omne mensuratum reducendum est ad mensuram suam, cum sint relata & eandem habeant naturam:

Atqui principia Theologica sunt mensura questionum Theologicarum, Ethica Ethicarum. E. Quæstiones Theologicae à principijs Ethicis mensurari nequeunt.

Rationem verò à Keckermanno allatam quòd concernit, dudum jam ad illam sufficientissimè à Rever. & Excell. Theologo Dn. D. Meisnero, præcept. meo observando part. 1. Phil. Sobr. p. 26. & 27. est responsum. Quemadmodum enim in conclusione termini non seorsim considerantur, sed potius ratione cohesionis: ita quoque illa saltem disciplina de quæstionibus his mixtis judicare potest, quæ agit, non de alterutro termino seorsim, sed de terminorum potius connexionis & combinatione. Hoc autem præstat, non Philosophia, sed Theologia.

B

Exem.

Exemplo res fiet manifestior. Quæritur inter nos & Bellarminum ac Gretserum l. 1. de Pontif. Rom. c. 1. 2. & seqq. Utrum Ecclesiæ regimen in his terris sit Monarchicum? Hic quid Monarchia sit Politica docet, quod autem Politica hæc de quæstione judicare possit nego. Politicus enim sic concludit.

Optimum regimen, optimo regiminis modo administrari debet: Atqui Ecclesiæ regimen est optimum regimen:

E. etiam optimo regiminis modo, qui est Monarchicus, est administrandum. Proinde non de extremorum natura seorsim sollicitus esse teneor, sed potius de terminorum coherentiâ, an videlicet Ecclesiæ verè attribuatür regimen Monarchicum? Jam autem quæ doctrina utrumq; terminum non cognoscit, ea de terminorum coherentiâ judicare non potest. Talis autem est Politica, quid enim huic cum Ecclesiâ? E. judicare non potest. Denique Keckermanno cum suis asseclis opponimus suum corrivalem, Sadeëlem, qui in Disputation. de Metodo disputandâ, ita scribit: Nos de Theologia ex principijs Theologicis disputandum esse, ex ipsa Theologia didicimus, & ita faciendum esse, vel ex ipso $\tau\epsilon\acute{o}\pi\omega\ \pi\alpha\iota\delta\epsilon\iota\alpha\varsigma$ affirmamus, quid vetat $\mu\epsilon\tau\alpha\ \epsilon\alpha\lambda\upsilon\epsilon\upsilon\ \epsilon\iota\varsigma\ \alpha\lambda\lambda\omicron\ \nu\acute{o}\theta\omicron$ & vagari extra artem illius scientiæ, de qua differendum susceperis? Et paulò post: Cum Theologia sit supra omnes scientias, eam subijci principijs Philosophicis non ineptum modò, verum etiam iniquissimum est, atq; indignissimum. Consule etiam M. Christianum Matthiam Disp. II. Disq. 10. Coll. Metaphysici.

Quæstio III.

An Aristoteles sit autor Ethicorum ad Nicomachum?

Com dubiorum solutio sit veritatis inquisitio, l. 7. Eth. c. 2. & l. 3. Metaph. c. 1, T. 1. placet hanc quæstionem $\alpha\upsilon\tau\omicron\ \Phi\omicron\nu\gamma\ \eta\gamma\ \Phi\theta\omicron\nu\gamma$, examinare. $\Delta\epsilon\iota\ \gamma\delta\ \Delta\iota\alpha\mu\eta\tau\eta\tau\acute{\alpha}\varsigma$, $\epsilon\kappa\ \alpha\upsilon\tau\eta\delta\iota\alpha\gamma\epsilon\varsigma\ \epsilon\iota\upsilon\alpha\iota$, $\tau\eta\varsigma\ \mu\epsilon\lambda\lambda\omicron\nu\tau\alpha\varsigma$ $\tau\omicron\ \alpha\lambda\eta\theta\epsilon\varsigma\ \kappa\epsilon\lambda\epsilon\upsilon\ \iota\kappa\alpha\tau\omega\varsigma$: oportet enim arbitros, non adversarios esse, qui verum sufficienter dijudicare volunt: l. 1. d. Cælos c. 10. T. 101. & l. 3. Metaph. c. 1. T. 1.

Veritati autem hîc sese opponit, Franciscus Patritius in Tomo 1. l. 3. f. 25. & l. 4. f. 47. & 48. Discus. Peripat. & triplici argumentorum genere, Aristoteli hosce libros adimere conatur.

Pri-

Primum genus probationis desumit ab *Authoritate*, & primò adducit Ciceronem qui l. 5. de Finib. ita tradit: Teneamus, inquit, Aristotelem, eiusq; filium Nicomach. cujus accuratè scripti, de moribus libri: dicuntur illi quidem esse Aristotelis; sed non video, cur non potuerit patri similis esse filius. Verùm facile respondetur, locum hunc Ciceronis meris conjecturis inniti, proindeq; nihil illo concludi, sed solam possibilitatem evinci. 2. Nota est regula Logicorum: *A posse ad esse non valere consequentiam*. Non sequitur, Patritius potuit verum defendere. Ergò defendit. *Altera autoritas est Diogenis Laërtij, qui quatuor tantum, non decem Aristotelis recenset libros Ethicos lib. 5. f. 173.*

Respondetur. Et hæc ratio nihil probat, cum constet, quod numerum multorum librorum, qui sine controversiâ ab aliis probatis scriptoribus, Aristoteli assignantur, Laërtius non rectè assignarit, quorundam etiam nullam planè fecerit mentionem.

Tertia est Quarini Veronensis, qui arbitratus est 10. lib. Nicom. à discipulo Aristotelis, profectos fuisse. Resp. eâ, qua à Patricio, objicitur facilitate, à nobis rejicitur, imprimis cum ipse Patricius illam non tam magni faciat.

Rationes insuper tres adducit, quarum 1. hæc est, quod cum Laërtius l. 8. in Eudoxo. f. 346. citet testimonium Nicomachi dicentis, Eudoxum statuere voluptatem esse bonum, hoc a. l. 1. Eth. 1. 12. & l. 10. t. 2. continetur, idcirco hi libri Nicomachi non Aristotelis dici debent.

Resp. Nec hanc rationem aliquid probare, 1. quia hi libri Ethici, dicuntur Ethica Nicomachica, non quod à Nicomacho sint scripti, sed quia ad Nicomachum filium ab Aristotele patre sunt scripti; Nam quemadmodum non sequitur, apud Platonem Dialogus de virtute inscribitur Menon & de Fortitudine Laches. E. Menon & Laches sunt illorum dialogorum authores. 2. Si libri hi essent Nicomachi filii, sequeretur 1. illum novisse Socratem & Platonem, cum ab illorum authore, amici nominentur, l. 1. Eth. c. 6. Deinde sequeretur illum authorem esse Exotericorum, Analyticorum, Politicorum & Metaphysicorum librorum, qui in illis citantur, quæ omnia absurda esse, quis non videt?

Altera est, quod verissimile non sit, cum puerulus admodum Nicomachus moriente Aristotele sit relictus, libros tam magnos & arduos illum ad filium scripsisse, cum ne regi quidē Alexandro, optimē aliās de se merito, sua opera dicare voluerit.

Resp. Invertendo argumentum: Imò quia Nicomachus puerulus adhuc erat, Aristoteles autem morti jam vicinus, ideò hos libros filio suo inscribere voluit, ut monstraret ipsi rationem, qua ratione vitam secundum virtutis normam instituere deberet, maximē cum propter senectutem non videretur superfuturus. 2. Falsum est, quod Alexandro Regi nulla opera dedicarit, cum extant Rhetorica præcepta ad Alexandrum ab eo conscripta, & constet, quòd libros de Historia Animal. ipsius nomine scripserit.

Tertia Patritij ratio est hæc, quod sc: Ethica Nicomachica, non Nicomachica, sed Magna moralia: contra autem Magna moralia Nicomachica vocanda sint, cum titulus Magna Moralia, parva cum sint, ipsis non conveniat. Vnde concludit Aristotelem si filio aliquid scripsisset, synopsis potius, qualis sunt libri M. M. dedicasse. Resp. Committi Fallac. à non causa ut causa. Non enim hîc paginæ librorum Nicomachi. ac ita quantitas; Sed potius qualitas sive res in iis contentæ, in quarum brevitate multa magna continentur numerandæ & considerandæ veniunt. 2. Verisimile est, Aristotelem illos libros, filio suo dedicare voluisse, quos reliquis, judicabat perfectiores, cujusmodi sunt libri Nicomachici.

Denique adducit etiam loca quædam ex Aristotele, quæ ut examinemus, opus esse non judico, cum partim propriâ futilitate cadant, partim etiam refutata reperiantur apud *Strauch, Cent. 1. quest. Ill, Decad. 2. qu. 1. Piccol. Introduct. ad 10. qu. 6. 13.* Restat itaque ut probemus Aristotelem, librorum horum authorem esse. Primo verò illud probamus à stylo & dispositione horum librorum, acumen Aristotelicum redolente.

Alteratio desumitur ab autoritate ipsius Aristotelis, qui horum librorum aliis in libris facit mentionem, nempe in Politicis l. 2. c. 1. & l. 3. c. 6. & l. 4. c. 2. & l. 7. c. 3. & in Metaph. l. 1. a. c. 1. Imò mentionem quoque facit librorum analyticorum l. 6. Eth.

c. 3. *Vltima ratio petitur à consensu aliorum autorum & interpre-
tum, utpote Plutarchi, Simplicij, Alexandri, Eustratij, Aspasiij, Thomæ A-
quinatis & aliorum, hos libros Aristotelis esse, iudicantium. Et
tantum de hac quaestione.*

Quæstio IV.

An Ethicæ genus, sit scientia?

Verum esse Ciceronis illud, quod habet l. 2. de Divin: Nihil
tàm absurdè dici posse, quod non ab aliquo Philosophorum dicatur, præsens
quæstio, restatum facit. Goclenius enim *Disp. Eth. 31. Th. 1.* Ethicam
definit, doctrinam benè vivendi, doctrinam autem nihil aliud esse
quàm scientiam, inde pater. Nam sicut scire est rem per cau-
sas bonâ ratione demonstrare l. 2. post. c. 11. T. 11. ita etiam doce-
re, l. 1. Metaph. & ut scientia fit ex præcognitis, ita & doctrina,
l. 1. post. c. 1. T. 1. & l. 6. Top. c. 3. & l. 1. Metaph. c. 7. T. 48. Cum
Goclenio facit *Sagittarius Ex Exot. 1. Th. 2. p. 12.* & alii plures, Viri
& Philosophi aliàs excellentissimi. Verùm, cum juxta Philo-
sophi nostri effatum, l. 1. Eth. c. 6. *Pro veritatis salute unum-
quemq; & præsertim Philosophos, sua propria refutare ac tol-
lere deceat, nemo mihi vitio vertet, si paulò accuratius, salvis
tamen aliorum melioribus iudicijs, in ipsam veritatem inqui-
sivero.*

Rationes autem quibus nituntur, hæ sunt. 1. *Philosophia
est scientia, Ergò & Ethicæ.* Rationem addunt hanc, quia totum non est ex-
tra suas partes sed in ijs suam essentiam habet. 2. *Quia dantur essentielles
in Ethicæ definitiones, sc: beatitudinis, Virtutis, Amicitia & Voluptatis. Vbi
autem dantur definitiones, ibi dantur etiam demonstrationes, ubi autem hæ,
ibi etiam scientia.* Cum definitio saltem ἑστὶν terminorum à demonstratio-
ne differat. 1. post. 7. T. 22. 3. *Quia in Ethicæ dantur omnia requisita
demonstrationis. E. & scientia.* Antecedens probatur, quia datur
τὸ ὑποκείμενον ἢ τὸ subjectum genus, τὸ κατ' αὐτὸ ὑπάρχον
ἢ τὸ quod per se inest generi, tanquam πᾶσι καὶ κατ' αὐτὸ συμ-
βέβηκός affectio propria & per se accidens, καὶ τὰ ἀξιώματα
B 3 propo-

propositiones, quæ causam rei proximam continent, propter
quam res ipsa est, ut l. 1. post. c. 7. T. 20. & c. 8. T. 25. habetur, E.
c. Vir bonus est subjectum, propria ejus affectio est esse beatum;
hæc prædicatur de illo, quia secundum virtutem agit; Unde,
inquiunt, perfecta ἔδειξι demonstratio talis existit. *Quicumq; se-*
condum virtutem agit, ille est beatus: At omnis Vir bonus secundum virtutem
agit. E. Omnis vir bonus est beatus. Sed facilis ad frivolas hæc
objectiones est responsio.

Prima n. laborat petitione principij. Prius enim de tota Philo-
sophia probandum est adversariis, ipsam esse scientiam ante-
quam Ethicam subsumant. In 2. negamus antecedens, cujus vitium
facilius apparebit, si integer construatur syllogismus, hoc pa-
cto:

Ubiq; dantur definitiones essentielles, ibi etiam dantur demonstratio-
nes: Sed in Ethica dantur definitiones. E.

Resp. 1. ad Majorem per inficiationem: Nam ut acci-
dentia à se essentiam seu substantiam non habent, ita etiam es-
sentialiter non definiuntur, Sed tantum causaliter. Illorum
enim essentialis definitio, quæ datur, tantum nominis interpre-
tatio est. Deinde Major non est reciproca. Omnia quidem quæ
demonstrantur, definiuntur; Sed non contra, quæ definiuntur
omnia demonstrantur. Præterea, locus ex l. 1. post. 7. T. 22.
citatus, rectè est intelligendus. Docet quidem Aristoteles quod
omnis demonstratio tantum ἔδειξι distinguatur à definitione, sed
non contra definitio statim ἔδειξι tantum distinguitur à demon-
stratione: loquitur enim Philosophus tantum de definitione cau-
sali, non essentiali.

3. Respon. per Instantiam ad Majorem, hoc modo: U-
bicunque dantur definitiones ibi etiam dantur demonstratio-
nes: Subsumo. Atqui in Logica dantur definitiones E. in Lo-
gica dantur demonstrationes & per consequens, Logica non erit
amplius ἔδειξι τῆς ἠθικῆς, sed ipsa ἠθικῆς, quod absur-
dum.

Ad 3. etiam R. 1. ingenere, concedendo, quod exemplum
allatum ad naturam demonstrationis, quodammodo accedat;
pro verâ autem demonstratione habenda non sit, cum merè
contin-

contingens sit & ab arbitrio nostro pendeat: quod demonstratio-
nibus veris repugnat. 2. R. subjectum in demonstratione debere
esse substantiam Ens per se, non per accidens quale est Vir bon.
Deinde termini in allega. exemplo, non necessariò cohærent, ut
cuilibet hoc pensanti, est manifestum. 3. Si hoc argumentum
firmum esset, sequeretur omnes artes effectrices esse scientias,
cum illæ, quatenus ut docentes considerantur, suum quoque ha-
beant subjectum, de quo multa per propria principia demon-
strantur: Omnis enim doctrina fit ex præcognitis & per discus-
sum ab ignoto ad ignotum. Zabarella l. 1. de N. L. c. 6.

Refutatis itaque hisce rationibus, negativam sic evincimus:

1. Scientia est rerum æternarum, necessariarum & immutabilium. 6. Eth. 6.
3. At Ethica versatur circa res contingentes & mutabiles 1. Eth. 3. & l. 2. c. 2.
& l. 6. c. 4. E. Ethica non est scientia.

Verum excipiunt hic quidam & negant majorem, dicendo
quod scientia sit etiam τῶν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, eorum quæ plerumque
sunt quemadmodum patet ex l. 1. post el. 24. T. 43. Deinde affe-
runt locum alium ex 1. post. 7. T. 22, ubi docet Aristoteles, quod
res, quæ non semper sunt, ea ratione, qua non semper sunt de-
monstrari nequeant: demonstrantur autem & sciuntur quatenus
semper existunt: hoc est res caducæ, quatenus καὶ μέγ & εἰσι, &
singulares sunt, sciri & demonstrari nequeunt: cum hac ratione
sumptæ, non αἰεὶ semper sint: demonstrantur autem & sciuntur
ἢ τοιαῖδε εἰσι quatenus tales sunt, ac ratione τῶν καθ' ὅλην univer-
salium sumuntur, cum hac ratione αἰεὶ semper sint. Res nam-
que Ethicæ quoad universalia sunt immutabiles, maximè si for-
mam illorum spectemus: quoad singularia autem propter cir-
cumstantiarum varietatem sunt mutabiles. 3. Dicunt Ethicam
in quæstione An sit, demonstratione, & διότι non carere, licet in
quæstione ὅτι ἐστὶ quale sit, non tam accuratæ illæ sint ac Mathe-
maticæ? Hæc tenus illi.

Sed certè, manifestam hos Aristoteli, injuriam facere pate-
bit ex sequentibus.

Pro solutione itaq; primæ instantiæ est Comment Zabell in
la. post 24. context. 182. pag. 991. hæc notanda veniunt. Primò si
cum Latinis & Averroe locum hunc interpretaremur, dicendum
est,

est, ex principiis ut plurimum veris esse demonstrationes naturales: idq; Aristoteles significare videtur, dum dicit (*demonstratio autem alterius horum*) nam in rebus divinis, & Mathematicis est necessitas simpliciter sic dicta, in naturalibus autem, non item: quia quandoq; impediuntur; nec propterea sententia Aristotelis labefactatur, qui alias docuit, sola necessaria ingredi demonstrationem: quoniam etiam effectus naturales ad necessitatem rediguntur, dum enim cum circumscriptione impedimenti considerantur, necessarij sunt & propositiones sunt necessariae, dum additur exceptio impedimenti: est enim necessarium, ut talem causam talis sequatur effectus, nisi impediatur: adde quod impedimentum, cum raro fit, est per accidens & fortuitum, proinde consideratione dignum non est. Quare effectus naturales habendi sunt ut necessarij, quod videtur significasse Aristoteles, in 1. prior. c. 13. sect. 1. appellans necessarium etiam id, quod ut plurimum fit, nimirum necessarium cum defectu & cum interrupta necessitate. Et paulo post. Advertendum est, quod quando dicimus, effectus naturales, non semper esse, sed ut plurimum intelligimus ratione causa: quia certas suas causas insequuntur ut plurimum, cum raro impediuntur, ideo sub scientiam cadunt: idcirco an effectus semper, an frequenter, an raro in subjecto aliquo eveniat, attendendum nunquam est, sed solum ad causam est referendus: nam si aliquam certam causam vel semper vel frequentissime consequatur, sub demonstrationem cadit, etiam si respectu subjecti rarissimum sit, at si respectu causa fiat raro, scientia ejus non est.

Hactenus Zarabella. Ex hisce jam dictis manifestissimum evadit, locum allegatum, nihil ad nostram facere Andromachen, cum loquatur hic de rebus naturalibus, quaestio autem sit de rebus Ethicis. Graecorum responsionem vide apud eundem l. c.

2. Neq;

2. Neq; alter locus ex 1. post. 7. T. 22. citatus id probat, quod probare debebat, illud enim saltem indicat, quod accidentia illa, quæ sæpe fiunt, ut ecclipsis lunæ, possint etiam considerari, ut semper existentia, ideoq; sub demonstrationem cadere, quatenus modo quodam semper sunt, sed non ea ratione, qua aliquando sunt: sic quando ecclipsis demonstratur, non attenditur ecclipsis hæc particularis, quæ nunc est & postea non erit, sed natura universalis ipsius ecclipsis, quæ semper esse dicitur, qua licet ei nulla extra animum respondeat, respondent tamen certæ quædam causæ, in quarum potestate ac virtute dicitur semper esse. Zabarella in Comm. l. 1. post. c. 8. p. 772. Diligenter insuper notanda sunt, quæ idem super hunc locum scribit, l. 2. de Propos. necess. c. 15. p. 405. quo lectorem remittimus.

Tertiæ instantiæ adductæ, cum ratione sic destituta, opponimus locum illum classicum ex c. 25. lib. de spec. Demonstr. Zabarella pag. 478. inquit: Nos igitur omnium demonstrationum declarantium, propter quid est, æqualem esse perfectionem & excellentiam arbitramur; proinde omnes primi gradus, omnes potissimas sine ullo discrimine appellandas esse.

Et hæc de quæstione hac dicta sufficiant. Ad illud unice respeximus, ut sepositis aliorum auctoritatibus & falsis principiis, veritatem in profundo latitantem erueremus, juxta Philosophi illud, Amicus Plato, amicus Socrates, magis amica veritas. MONITI tamen MELIORA SEQUEMUR. Vide plura apud Strauchium Cent. 1. Dec. 2. qu. 2. & l. M. l. c. q. 7.

Quæstio V.

An Ethicæ genus, sit ars?

M. Thomas Sagittarius, in Templ. Virt. Ex 1. q. 1. affirmativam sententiam, sequentibus argumentis obtinere cupit.

1. Quia Ethicæ, definitio artis competit: ars enim dupliciter consideratur; vel ut est in libro, vel ut est in mente, & definitur l. 6. Ethic. c. 4. ἔστι ποιητικὴ μετὰ λόγου ἀληθῆς. Iam utrum elegeris, Ethicæ est ars.

C

Est

Est habitus mentis faciendi aliquid: est comprehensio præceptorum consentientium ad finem utilem in vita.

2. Quia est pars Philosophiæ. E etiam ars. Ratio connexi est, quia Philosophia est artium liberalium comprehensio.

3. Quia Dialecticam artem probaturus Scal. Ex. 1. l. 3. sic colligit: Ars est Dialectica, non scientia. Ejus namq, finis opus. Sic & nos colligimus: Cujus finis est opus, illud est ars. At Ethicæ finis est opus, motum nimirum in homine conformatio & elaboratio. Ergo ars est Ethicæ.

Nobis autem, qui Aristotelem sequimur, mens longè est alia.

Philosophus enim l. 6. Eth. cap. 4. contingentium duo facit genera, quorum unum ad ποιησιν effectivam, alterum autem ad πράξεις actionem refertur, illa artem, hæc prudentiam constituit. Unde sic arguimus: Ethicæ autem est ποιησιν, aut, πράξεις. Ethicæ non est ποιησιν, ratio est hæc, quia post actionem nullum ποιησιν seu materialium effectum relinquit. Ergo est πράξεις & per consequens non est ars.

Rationis à Sagittario allatæ, nihil concludunt.

Prima enim laborat Fall. petit. principij. Si enim posterior artis definitio vera esset, omnes certæ scientiæ artes essent, constantes quippe præceptis in vita utilibus. 2. Falsa est & spuria illa artis definitio, ars enim est in qualitate, systema autem in quantitate. 3. Ethicæ esset systema præceptorum moralium, cum tamen neque sit præceptorum systema, neque ipsamet præcepta, sed ex crebra præceptorum usurpatione & exercitatione efflorescens aliquis habitus. Præterea neque secundum priorum artis definitionem Ethicæ ars est, cum ars versetur circa τα ποιησιν, Ethicæ autem circa τα πράξεις: Illius operationes sunt transeuntes, hujus immanentes. Illius finis est bonum utile & jucundum, hujus bonum honestum; Illà possumus abuti; hæc non, cum virtutis nullus detur abusus. Jacob. Martin. in eudam. disp. 1. quest. 6.

2. Argumentum, fundamenti loco substernit, descriptionem, non definitionem. Vulgus enim definit Philosophi, per comprehensionem artium liberalium.

In

In 3. argumento latet Homonymia in vocabulo operis, quod ibi Scaligero non est *πρατήν* sed *ποιητόν*. In eo enim Dialectica cum arte convenit. Quemadmodum enim hæc in naturale aliquod subiectum, artificiale aliquod opus producit: ita quoque Logica. Discrepantia in eo tantum est: quod illa producat suum opus per *ποίησιν* realem & propriè ita dictam, hæc verò per Metaphoricam. Cum igitur *ποίησις* sit forma operationis, ut illa ab arte fluit, ita quoque ars est. Ergò Logica ars erit non propriè, Sed Metaphoricè & per analogiam proportionis ita dicta. Deinde quod illius opus producat in materiali & externo subiecto: hujus in immateriali & interno, nempe in noëmate primo. Cum igitur Dialectica impropriè ars dicatur, quomodo Ethica per eam definiri poterit? Quippe cui *ποίησις* nullo modo tribui potest.

Quæstio VI.

An prius inventa fuerit Ethica quàm Physica?

Distinctè in *κατάλυσει* hujus quæstionis procedendum. Ethicam enim considerare possum, vel ratione usus, vel ratione Preceptorum. Si horum respectu consideratur, certum est, disciplinas theoreticas prius in ordinem & systema quasi redactas esse, cum natura illorum ita comparata, ut facilius & feliciter in artis formam redigi possit, quàm Ethica, utpote, quæ ob rerum contingentiam & mutabilitatem difficilius disponi & uno quasi fasciculo comprehendi potest. Ad hoc accedit & illud, quod veteres Philosophi rerum contemplationi potius, quàm disciplinis activis fuerint dediti, ut refert Laërtius l. 2. de vit. Philosoph. Si verò respectu Usus consideratur, concedendum profectò, Ethicam prius Physicam esse inventam, cum Respublicam Physicam, non item virtutibus, quibus cives informandi, carere possit, teste Philosopho, 1. Pol. c. 3.

Quæstio

Quæstio VII.

An Physica docenda prius & discenda quàm Ethica?

Et de hoc Themate, variè inter se digladiantur Philosophi. *Diogenes Babilonius, Acciajulus & Simplicius* pro Physica, cum multis aliis, pugnant his fundamentis. Primum sumitur à *facilitate*, quod illa quæ in Ethicis proponuntur, sint faciliora illis, quæ in Physica tractantur.

2. A *necessitate*, quod sine Ethicâ ne ad momentum quidem societas humana consistere possit, possit autem absque Physica.

3. A *proprietate subjecti*, quod Subjectum Ethicæ, quod est voluntas, prior sit subjecto Physicæ, ipso sci intellectu.

Contrarium defendit *Ammonius in Proëmio, in Categ. Piccolom. Introd. c. 26. & plures alij, quibus & nos suffragamur.*

1. Cujuscunq; juvenis non est idoneus auditor, illud priore loco addiscere non debet: Atqui Ethicæ juvenis, non est idoneus auditor teste *Arist. 1. Eth. c. 3. διὰ τῆς πολιτικῆς ἢ ἐστὶν οἰκοῦ ἀκροατῆς ὁ νέος: ἀπειροῦ γὰρ τῶν καὶ τῶν βίον προφάσεων, οἱ λόγοι δὲ ἐκ τῶν καὶ περὶ τῶν. ἐν δὲ τοῖς πάθεσιν ἀπολεθητικὸς ὢν, ματαίως ἀκροῦται καὶ ἀνωφελῶς. ἐπειδὴ τὸ τέλος εἶναι. ἔγνωσεν ἀλλὰ πρᾶξις.* E. At objicis contra, locum ex 6. Eth. c. 8. ubi negat *Aristoteles*, Juvenem, Physicum & sapientem fieri posse, cum possit esse geometra & prudens. R. rationem esse diversam: quia licet juvenis absolutè sit idoneus auditor Mathematicorum, non autem Physicæ, tamen cum didicerit, mathematica magis est aptus evadere Physicus quàm Ethicus. Quia, 1. contemplationi conjunctior est contemplatio quàm actio: 2. quia finis Ethicæ actio est, non cognitio, cognitio autem finis Physicæ. Comparatè ergò hic locus est intelligendus.

2. Quicquid facit ad distinctam Ethicæ cognitionem, illud Ethicæ erit præmittendum: Sed doctrina de anima plurimum facit ad distinctam præceptorum Ethicorum cognitionem. Ergo.

3. Sicut se habet Medicina ad Physicam, ita quoq; Ethica se habet ad Physicam: Sed Medicina ante Physicam addisci nequit, Ergò

Ergò nec Ethica Physicæ præmittenda. Min. roboratur ex l. i. Eth. c. 13. ubi ita legitur: sicut eum qui oculos curaturus est & c.

Verùm contra hoc caput, ex eodem capite, quidam duo nobis obijciunt. 1. Quod dicat, civilem cognoscere modo aliquo, ut ei satis est, non ait exactè. 2. Quod nos rejiciat, non ad libros de anima sed ad externas rationes, in quibus, inquit, nonnulla esse explicata, qua satis sunt civili.

Sed eleganter respondet *Piccolhom. Introd. cap. 26. p. 55.* primò inquit, quia si animæ cognitio, conducit civili, procul dubio quò fuerit exactior, eò magis conducet. Præterea id ipsum, longè magis de arte medendi possemus dicere, quod ei satis esset cognitio rerum physicarum levis & popularis, præsertim cum sit imperfectior: & ramen inspicimus, quod omnes, qui ritè futuri sunt medici, primò accuratè incumbant, contemplationi. Præterea cum Aristoteles nos rejiciat, ad externas rationes, quid per eas significet, conspicuum non est; nam si denotat explicaciones quasdam populares, cum modo illæ non extent, ad naturalem philosophiam, quæ extat, confugere cogimur: & si profunt populares sermones, longè magis proderunt accuratè considerationes animæ.

Respondemus itaque ad argumentorum ante allatorum 1. Majorem simpliciter ita acceptam, falsam esse: Sic enim elementa mixtis, sic Elementis principia postponenda essent: 2. Minor falsa est, licet enim qualiscunque præceptorum Ethicorum cognitio facilius appareat, quia tamen ad actionem tota dirigenda est, difficilima omninò evadit, ut longè facilius sit cæli naturam scrutari, quàm fortitudinem cognoscere eamq; ad actum deducere.

Ad 2. R. Distinguens inter confusam & perfectam Ethicæ cognitionem. Illa simpliciter necessaria est, & de hac loquitur probatio, ut nimirum in genere tum ex educatione, tum ex vulgaris illis dictis aliquis sciat, qualem in moribus se gerere erga alios debeat, hæc non item.

A. 3. R. N. Minorem, ratione essentia enim simul sunt, quoad operationes verò prior est Intellectus voluntate, cum nihil nisi quod prius intellexerimus, velle possimus.

Quæstio VIII,

An Philosophia Practica rectè dividatur in Ethicam, Politicam & Oeconomicam, tanquam in tres distinctas disciplinas?

Ita statuunt quidam, non obscuri nominis Philosophi, dicentes hanc divisionem desumptam esse, ex diversitate actionum humanarum, ita quidem, ut Ethica consideret actiones hominis privati, quemadmodum Politica mores, hominis in societate civili degentis, & Oeconomica actiones hominis in oeconomia perpendit. Ab hac declaratione merito discedimus, eandemque suis patronis defendendam relinquimus. Non enim ea, quæ in Ethicis proponuntur, tantum ad privatam, sed ad quemlibet hominum, in qualibet societate hominum viventium pertinent. Hoc animadvertens *Piccolhom: in Introd. in 10. gr.* aliam proponit divisionem, ita ut habeat duas partes, quarum una sit speculativa, altera activa. Speculativa tradit principia & fundamenta totius Philosophiæ moralis, facultateque includit universam & proponitur in Ethicis. Activa verò magis ad actionem accedit & illa generalia proposita in hac vel illa societate ad usum transfert, quod sit in Politica & Oeconomica. Patet ergò quod Ethica sit speculativæ Philosophiæ moralis pars, non quòd in sola cognitione existat, quo modo scientias propriè dictas speculativas dicimus, sed quia magis universalis continet, & ab ipsa actione adhuc remotior est. Politica autem & Oeconomica dicuntur practicæ, quia generalia in Ethicis tradita, hic ad usum per actionem transferuntur. Ethica enim in genere doctrinam virtutum continet, summum finem proponit & media ad eum ductentia monstrat; At Politica (ut & Oeconomica) non novas virtutes continet, nec etiam aliud summum bonum proponit, sed monstrat solum, quomodo generalia illa magis ad praxin sint dirigenda. Nam ut Medicinæ duæ sunt partes, quarum prior Theorica dicta, totaliter ad alteram, quæ Practica dici solet,

let, refertur: Ita Philosophia Moralís in Ethicis contenta, tota-
liter ad Politicam & Oeconomícam tendit.

Uc enim ille non dicitur Medicus, qui solam cognitio-
nem remediorum tenet, nisi etiam justo tempore & bene cu-
rare possit: Ita in Ethicis etiam non est is, qui generalem virtu-
tum cognitionem habet, sed qui actiones suas secundum eandem
dirigit.

Concludimus itaque quaestionem hoc syllogismo:

*Ubi cunq; datur idem Objectum, tam quoad materia-
le, quam Formale, ibi non dantur distincta disciplina; sed in
Ethica, Politica & Oeconomica datur idem objectum &c. E.
Minor ex eo constat, quod tam in Politica, & Oeconomica
considerentur actiones humanae, ut in illis resurgat honestum,
quam in Ethica, quae illas in genere & universaliter conside-
rat, & licet diversa virtutum applicatio, discrimen inter E-
thicam & Politicam faciat, modus tamen applicandi genera-
lis semper idem manet. Videatur CL. Dn. Jacobus Mar-
tini Disp. 1. & d. 2. q. 1.*

Quaestio IX.

*An Ethica rectè distribuatur in θεωρητικὴν
& πρακτικὴν?*

Helluo ille absurditatum CL. TIMPLERUS, duabus rati-
culis l. 1. syst. Eth. c. 2. q. 2. p. 15. hanc divisionem astruere satagit.
Et si, inquit, non simpliciter rejicienda illa, in θεωρητικὴν καὶ θεω-
ρητικὴν, convenientior tamen illa, quae ex subjecto proprio petitur. 2.
Quia aequè latè patet ac ipsa Ethica, ita ut neq; eam excedat, neq; ab ea exce-
datur.

Divisionem verò hanc vitiosissimam esse, probamus, 1. ex
eo, quod totum divisum non exhauriat, cum nihil de fine præcipiat. 2. al-
tera pars practica quidem dicitur, sed non est. Quia ibi nil de praxi, sed
tantum de actionum, quae virtute informantur, natura & modo agitur.

Ratiun;

Ratiunculæ ambæ, laborant petitione principii, falsum enim est, divisiones in practicis fieri à subjecto, sed à fine. Utenim se habet subjectum in Theoricis, sic se habet finis in Practicis. 2. & hoc falsum, illam æquè latè patere ac ipsam Ethicam, cum finem omittat.

Coronis.

1. *Virginem & matrem esse, non sunt contradictoria.*
2. *Virginem in relatione potius, quàm substantiâ esse, asserimus.*
3. *Virginem juveni esse ducendam cum, CL. Arnisæo, ex lib. 1. Doctri. Polit. c. 3. p. 89. defendimus. Nec obstat, quod virgines viduis lasciviores & intemperatiores esse putentur. Verisimile enim non est, virgines viduis esse lasciviores, cum difficilius sit experta consuetas relinquere voluptates, quàm inexperta ab incognitis abstinere, ut ex Tiraquello notat M. Neander in pral. Oeconom.*

DEO MAIESTAS.



Wittenberg. Diss., 1613/23


V. 17

ULB Halle

3

002 673 304







18
26

A. A. 1619 4

EXERCITATIONUM PRACTICARUM
GENERALIVM PRIMA,
De

**NATURA ET
CONSTITUTIONE**
PHILOSOPHIÆ MO-
RALIS.

Quam
In Illustri Wittebergensi Academia
PRÆSIDE
M. HIERONYMO VVEIXELBERGERO
Welfensi Austriaco, Facult. Philosoph. in Ele-
ctorali Wittebergensi Academia
Adjuncto,
TYEBITVR
JOACHIMUS FLEMINGUS
Anhaltinus.
Ad diem 12. Maij.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS GORMANNI,
Anno cl^o 1619.

